

inferioris pretii seu valoris, ac præscriptum: quia tunc emens probabiliter non est invitus, graviter cum damnum, et periculum, omne absit; sic Toletus, Valentia, Ledesma, Lopez, Henriquez, Sotus, Salonius, Bannes, Emmanuel, Vega, et alii, quos affert, et sequitur Salas, dub. 35. n. 1. Tamburr., lib. 8 decalog., c. 7, § 11, num. 8 et 9. (47. Si tamen Pharmacopola prævideat, vel metuat tale aliud medicamentum graviter periculosum, et damnosum fore, vel esse posse infirmo graviter peccabit dando unum pro alio, et tenebitur ad restitutionem omnium damnorum; sic communis Doctorum. Unde caveant Pharmacopola ab hujusmodi prava praxi dandi quid pro quo infirmis cum tot eorum gravissimis periculis et damnis; serio reflectant, quod pro conscientia tenentur tradere infirmis medicamenta, ut sunt a Medicis præscripta, et aliter faciendo, non ut debent, infirmorum salutem consulunt, et utinam sæpissime non nocerent, cum tale aliud medicamentum sibi visum non absimile a præscripto sit sæpe sæpius, et possit esse reipsa, et virtute dissimile, cum nimio periculo, et damno infirmorum, qui, si id scirent, certe talia medicamenta non sumerent.

(48. Venditor habens frumentum venale (et sic dices de aliis mercibus) et sit illud revera servaturus usque ad tempus, quo solet plus valere, potest licite vendere majori pretio, quam actu valeat; si ab Emptore rogetur, ut ipsi nunc vendat; desumitur ex cap. in Civitate 6, et cap. Naviganti 19, de usuris, et tenent communiter Doctores cum S. Antonino 2 p. Summ. Theolog., tit. 1, cap. 8, § 1, ubi sic expresse dicit, « Cum quis vendit merces quascumque, lanam, linum, pannos, victualia, et hujusmodi certo pretio majori, quam sit illud, quod tunc valent, cum vendentur, ex eo quod sit illud, quod non intendebat eas vendere, sed servare, usque ad tempus, quo probabiliter aestimabat tantum valituras, vel plus quantum nunc vendit, sed ad instantiam alterius vendit; istud est etiam pretium justificatum, et licitum, ut expresse dicitur in cap. in Civitate, de usuris. » (49. Sic etiam licite vendit pro pretio solvendo, quo valebit v. g. ultima hebdomada Maii, et prima Junii, quando solet plus valere, dummodo revera esset illud servaturus vendendum usque ad illud tempus, textu expresso in cap. Naviganti 19, de usuris, ibi: « Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen eo tempore contractus non fuerat venditurus. » Et sic communis Doctorum. (50. Et dato quod pretium ultimæ hebdomadæ Maii contingat esse diversum a pretio primo hebdomadæ Junii, tunc debet sumi pretium medium, id est si pretium unius hebdomadæ erat 80, et alterius erat 70, pretium solvendum erit 75. (51. Debebit tamen ab hoc pretio deducere expensas, quas facturum erat venditor in servandum triticum, vel alias merces usque ad

tempus præfinitum venditionis; ut recte ex Angelo de Clavasio, Navarro, Petro Navarra, et Covarruvias notat Cabassutius juris Canon. theor. et praxi, lib. 6, cap. 9, num. 13, ibi: « Oportet, ut expensas deducat, quas facturum idem venditor fuerat ad servandum merces suas usque ad præfinitum diem; ut est pretium conductionis horreorum, apothecarum, cellariorum.... præterea aestimationem computet diminutionis, deteriorationis, et periculi harum mercium, in id tempus reservandarum; Cum enim venditor, aut creditor fiat ab his omnibus expensis, et damnis immunis, et quo res istas vendidit, aut mutuavit; si ista non computaret, plus exigeret, quam sibi ex justitia deberetur, et ultra suam indemnitate in illa anticipata pretii, aut mutui taxatione. »

(52. Venditor non potest licite vendere triticum de mense Novembris summo pretio, quo veniet toto tempore intermedio usque ad Novembrem sequentis anni; Non enim servatur in hoc contractu æqualitas sortis et periculi inter venditorem et emptorem; et ideo merito fuit damnatus similis contractus ab Innocent. III, in cap. In Civitate 6, et ab Urbano III, in cap. Consulit. 10, de usuris, et in Concilio Parisiensi VI, c. 53, habito anno 829, in Mediolanensi I, habito anno 1563, et in Burdigalensi habito anno 1583. (53. Venditor graviter peccat, et tenetur ad restitutionem, si triticum aqua medefaciat, lanam, et hujusmodi in loco humido reponat, ut plus ponderet; pannos, et hujusmodi ad majorem mensuram, vel pondus, quam in se sint, dolosis artibus trahit; Sic communis Doctorum arg. c. Jur. sup. num. 14. Unde S. Antoninus 2 p. summ. Theolog., tit. 1, cap. 17, § 5. sic expresse habet: « Lanifices, qui faciunt pannos trahere ad tractariorum ultra debitum artis, unde postea madefactus, et tonsus, ut moris est, retrahitur ad longe minorem mensuram, quam debet, fraudem faciunt, et S. Thomas 2, 2, quæst. 77, art. 2, in corp. sic ait: Si quis scienter utatur deficienti mensura in vendendo, fraudem committit, et est illicita venditio; unde dicitur Deuteronomii 25. Non habebis in sacco diversa pondera, majus et minus... Abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam. »

(54. Venditor potest licite vendere rem cum pacto retrovendendi, seu redimendi, in futurum, l. 2. Cod. de pact. inter Empt. et vendit., et communis Doctorum cum Molina, disp. 375. Less., lib. 2, cap. 21, dub. 14. Cardin. de Lugo, tom. 2, disp. 26, sect. 13, § 1, et patet ex Levitici 25, ubi præcepit Dominus, ut omnes Terræ Populi Israel sub conditione redemptionis venderentur, tum ex censibus, qui venduntur cum pacto implicito redemptionis; illo tamen casu res debet minoris vendi, eo quod imponatur onus emptori revendendi, quod est pretio aestimabile. (55. Quantum vero diminui debeat de pretio propter tale onus revenditionis impositum emptori, alicui dicunt esse

fere tertiam partem; alii aliter. At rectius docent alii cum Molina, disp. 375, n. 8, et Card. de Lugo, loc. cit., n. 189, non posse certam regulam generalem assignari; minus enim diminuendum erit, si facultas redimendi ad breve tempus; plus, si facultas sit ad longius tempus; et adhuc plus, si facultas redimendi sit perpetua; unde relinquendum est arbitrio prudentum, qui attentis rerum circumstantiis, et regionum consuetudinibus, quantum sit de pretio minuendum propter tale onus revenditionis pronuntiabunt. (56. Cavendum tamen, ne in similibus pactis revenditionis intercedat damnatus contractus dictus Mohatra, vel Baratra, Hispanice; Et Stocco, seu Stoecola, aut Varocola Italice. Contractus hic intercedit quando aliquis indigens pecunia præsentis, nec illam mutuo inveniens, emit credito a mercatore, seu venditore merces pretio summo, v. gr. 100 et 10, cum pacto revendendi ipsimet venditori pretio infimo, numerata pecunia, v. gr. 100, ut sic per talem numeratam pecuniam provideat suæ præsentis necessitati, cui non potest providere per tales merces, quibus non indiget ad suum usum. Hic Contractus, ut vides, est palliata usura, cum nihil aliud sit, quam

(1) Sub pallio emptionis, venditionis alius non absimilis usuraria pravitate infectus in Romandiola præsertim introductus erat Contractus. Ubi quis aliqua pecuniæ quantitate indigebat, fictum inveniebat emptorem ejusdem prædii, illudque eidem simulate vendebat cum pacto redimendi coactivo, eodemque tempore fingebatur, novum emptorem idem prædium venditori locare pactis interim fructibus pro pecunia numerata sub prætextu emptionis et insimulate locationis; qui contractus ideo appellatur *Fitto franco*. Sed cum Venditor infra certum et determinatum tempus potuisset a ficto emptore adigi ad redimendum prædium, restituta pecunia accepta, quod maximam redoleat iniquitatem, nec facile ab usuraria pravitate sejungi valet, hinc superioribus annis mature excussa fuit hæc controversia in S. Rotæ Tribunali, et definitum, quod, ubi occurreret coactivum hujusmodi pactum, contractus sine ullo robore remaneat, ut in Forosempronien. seu Cæsenaten. Contractus 5. Junii 1780. cor. R. P. D. Origo, quæ multas præcedentes in eadem causa decisiones recenset.

Hæc tamen resolutiones cæteroquin sanctissimæ, et omnino in contractibus postea ineundis observandæ maximam producebant confusionem quoad contractus antea bona fide celebratos. Quapropter vigilantissimus Princeps Pius VI. P. M. subditorum felicitati et securitati quammaxime intentus specialem Congregationem Theologorum et Canonistarum deputavit, quibus propositam questionem examinandam proposuit. Isti, articulo diligenter expenso, sequentem denique emisissent resolutionem, quæ licet ad Emiliæ Provinciam sit directa, cum tamen particulares ejusdem mores non modo respiciat, sed intrinsecam contractus naturam efficiat, ideo opinor, in quacumque alia provincia eandem esse scrupulose attendendam.

« Provincie Emiliæ. Quum Sanctissimus D. N. PP. Pius VI. rescripto diei 31. Julii 1781. benigne deputaverit Congregationem Particularem compositam ex RR. PP. Carafa episcopo Mileti, et Sac. Congregationis Episcoporum Secretario; Campanelli tunc Fidei Promotore, nunc Auditore Sanctissimi, Josepho Benetti Aulæ Consistorialis, et Fiscii Advocato, Bruno Thoma Magistri S. P. A. Socio, et Paulo

mutare 100, cum obligatione restituendi postea 100 et 10, unde merito fuit damnata ab Innocentio XI, sequens propositio in ordine 40. « Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri (1). »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(57. Notabilis est differentia quæ intercedit Socium inter et Fiscum circa venditionem rei communis. Socius tantum suam partem in re communi vendere valide potest. Quinimo si mala fide rem gesserit, et rem totam quasi in solidum Dominus vendiderit, eademque sibi cum alio communem esse retinuerit, quum species furti sit rem alienam absque Domini (58. consensu alienare, § 2, versicul., unde in rebus mobilibus Institut. de Usucap. aut actione furti conveniri potest L. 4. ff. de Reivindicat. L. 43. ff. Pro Socio, aut certe in stellationatus crimen incidit. (59. L. 16, § 1, et L. 36, ff. de Pignorat. action. Confer., Reiters. de Alienat., part. 2, c. 2, section. 2, n. 3, et plur. seq.

(60. At Fisco ex privilegio rem sibi cum alio communem in solidum vendere permissum est; idque quia publice interest ut res fis-

Ant. Paoli Accademie Ecclesiasticæ Præsidi ad referendum eidem Sanctitati Sux super dubio,

« An substineri debeant Contractus nuncupati: *Fitto franco*, celebrari soliti in Provincia Emiliæ: in quibus vendit quis pro certo pretio sine aestimatione, et mensura Fundum suum cum facultate redimendi intra certum tempus, quo elapso cogi potest ab Emptore ad reluendum pro eodem pretio, et contextualiter idem Venditor conducit fundum venditum pro annua certa pensione — a fiamma e fuoco — et cum obligatione solvendi onera quæcumque tam imposita, quam imponenda super Fundo.

« Eadem Congregatio habita die 12. Januarii 1785, in Aedibus præfati Episcopi Militensis censuit in casu, de quo agitur, et attentis circumstantiis consulendum esse Sanctissimo, ut quoad Contractus, quorum nullitas sive simulatio in Judicium deducta fuit, mandet Partes uti Jure suo. Quo vero ad Contractus nunquam in Judicium deductos, mandet, ut Eis amplius non agatur de illorum nullitate, seu simulatione, convertendos eosdem Contractus in tot Censum impositos super eisdem Fundis, de quorum venditione et locatione actum fuit, redimibiles ex parte Debitorum, et irreptibiles ex parte Creditorum in omnibus, et per omnia ad formam Balle Pianæ, taxando generaliter annuos fructus dd. Censuum ad rationem scutor. quatuor pro quolibet Centenario, ita ut imputari debeat in sortem totum id, quod fuit exactum supra hanc Taxam a die 22. Maii 1771. quo fuit publicatum Edictum Eminentissimi Emiliæ Legati, facta tamen declaratione, quod sub hac dispositione non censeantur comprehensi Contractus post Edictum celebrati, super quibus Partes uti poterunt Jure suo; idemque dispositum intelligatur quoad illos Contractus ante Edictum celebratos, quorum usuraria pravitas aliunde quam ab expositis circumstantiis, clarius constet.

« Facta per me relatione, Sanctitas sua Resolutionem in omnibus benigne approbavit, eamque in Acta Archivi referri, et per Eminentissimum Emiliæ Legatum in tota Provincia publicari, et inviolabiliter observari mandavit. Hac die. 17. Januarii 1785. » (Edit Barbiell.)

Joseph Episcopus Militensis.

cales facilius inveniant Emptorem. Debet tamen Fiscus pretium pro rata partis ad Socium pertinentis, ei refundere. (61. L. 2, de Commun. rer. alienat. Voet. in Commentar. ad Pandect. lib. 18, tit. 1, n. 14. Peregrin. de Jur. Fisc. lib. 6, tit. 4, n. 23. Num Christiani Mercatores merces ad infideles licite transferre possint eas ipsis vendendi ergo? (62. Affirmant de tempore pacis, nequaquam vero tempore belli. Trentacinq. variar. resolut. Lib. 3, tit. de Verb. obligation. Resolut. 3, num. 1. Molin., de Justit. et Jur. tomo 2, tractat. 2, disputat. 343, num. 9.

ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELLINIANA.

In foro frequens excitari potest quæstio circa (63. tempus ad quod rei acceptæ æstimatione referri debeat, in qua hæret unusquisque Judex vel Patronus vel Jurisconsultus, ubi id quæritur in condemnatione faciendâ super rei petitæ æstimatione. Cujac. tract. ad African. 8, in lib. 37, ff. mandati in fin. Puta; quis accepit frumentum mense Maii cum obligatione illud restituendi mense Novembris, vel præstandæ æstimationis. Advento tempore restitutionis, vel præstandæ æstimationis Debitor utrumque neglexit, quæritur utrum is optionem amiserit, et casu quo amissa sit, ad quod tempus rei acceptæ æstimatione referri debeat. Ad primum respondetur, amissam fuisse optionem per text. in l. 57, ff. de solutionibus ibique Bruneman. Quod ad secundum pertinet, inspiciendâ (64. primo sunt pacta contractui apposita, quæ omnino servanda sunt, quibus deficientibus inspiciendum erit tempus moræ, si qua litis contestationem præcesserit, et eo tempore res pluris fuerit, sive mora re ipsa contracta sit per lapsum diei in obligatione positi, sive per expressam interpellationem opportuno loco et tempore moræ res minoris fuerit, crescet in singula momenta æstimatione ab eo die, quo mora contracta est in diem usque condemnationis. Hanc mirifice quæstionem expendit Vin. select. jur. quæst. lib. 1, cap. 39, per tot. et Rot., in Allatrina Pecuniaria, 2 Junii 1760, cor. Herreros. (65. Statuit debitorem in majori pretio condemnandum esse, quamvis momento temporis tantum illud in commercio observatum fuerit ex eo, quod præsumatur creditor speciei ipso adamussim momento speciem creditam vendidisse, quo carius vendebatur.

ARTICULUS IV.

Quod ea quæ concernunt commodum, periculum, et retractum rei venditæ.

(1. Commodum, et fructus rei venditæ post traditionem pertinent ad Emptorem. Per traditionem enim emptor evadit Dominus rei emptæ; l. Traditionibus 20. C. de pactis, etiamsi pretium nondum sit solutum, modo cautio fidejussoria, aut pignoratitia ab Emptore præstita fuerit, aut Venditor fidem habeat emptori, rem eidem credito vendendo, § 41. Institut. de rerum divis. Res autem, Domino suo fructificat, sicuti ipsi perit, l.

Lectos 12, l. Quod si neque 14, ff. de periculo, et commodo rei venditæ. Est communis, et certa. (2. Fructus rei venditæ adhuc pendentes tempore contractus venditionis etiam ante traditionem pertinent ad Emptorem, sive sint maturi, sive immaturi; l. Julianus 13, § 10 et 18, de action. empt. l. Fructus 13, et lib. Post perfectam 16. Cod. de action. empti, l. fin. § Fructus, ff. que in fraudem Creditoris. Et ratio clara est, quia fructus pendentes censentur pars fundi, vel rei fructifera; l. Fructus 44, de rei vindicatione, adeoque uno indivisibili pretio simul cum fundo, seu re fructifera venduntur, nisi aliter sit in contractu conventum; quia in tali casu standum esset conventioni ex Regul. 85. Juris in 6, ibi: « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur; » Est communis, ac certa.

(3. Immo nedom fructus pendentes, seu extantes tempore contractus Venditionis, sed etiam fructus nati, et producti post celebratum, et absolutum contractum, pertinent jure Emptionis ad Emptorem; etiamsi res nondum tradita sit; nec cautio fidejussoria, aut pignoratitia præstita, nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit; sic Silvester, verb. Usura 2, q. 11. Petrus Navarr., lib. 4, cap. 2, num. 148. Palao, de justit. commut. disp. 5, punct. 26, num. 4. Lessius, lib. 2, cap. 21, dub. 13, num. 109. Rosella, verb. Usura, num. 47. Armilla, eodem verb. num. 15. Layman, lib. 3, tract. 4, cap. 17, n. 18. Lopez, de contractibus, c. 36, ad 1. Reiffenstuel, lib. 3. Decret. tit. 17, num. 232. Sporer, l. c. n. 94. S. Antoninus, Gabriel, et alii cum communiori Theologorum. Et ratio est, quia æquissimum est, ut ad eundem spectet commodum fructus, et accessio rei, ad quem ejusdem rei damnum, et periculum spectat: textu expresso in § 3. Institut. de empt. et vendition. ibi: « Si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad Emptoris commodum pertinet; nam et commodum ejus esse debet, cujus periculum est; et l. Id quod 7, ff. de pericul. et commo. rei venditæ ibi: Si Totus ager post Emptionem flumine occupatus esset periculum esset Emptoris, sic igitur, et commodum ejus esse debet; et clarissime in l. Secundum 10, ff. de diversis regulis Juris antiqui, ibi: « Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda. » Atqui periculum totum, et damnum rei in specie venditæ, etiam ante traditionem, et pretium solutum ad Emptorem pertinet, adeo ut, si absque venditoris culpa pereat, vel deterior fiat, nihilominus integrum pretium Emptor solvere cogatur; textu expresso in § 3. Institut. de Empt. et Vendit., ibi: « Cum Emptio, Venditio contracta sit (quod effici diximus simul atque de pretio convenerit) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet. Itaque si ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio consumptæ fuerint... Emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere: quiquid enim sine dolo et culpa venditoris accidit, in eo venditor

securus est. » Ergo commoda quoque et fructus rei venditæ etiam ante traditionem, et pretii solutionem ad eundem emptorem pertinere debent.

(4. Contraria tamen sententia, quod scilicet ad venditorem, et non Emptorem pertineant fructus provenientes ex re vendita post celebratum, et absolutum contractum, casu, quo res nondum sit tradita, vel si tradita, pretium tamen nondum sit solutum, nec cautio præstita, nec fides de pretio habitata, nec dilatio ad solvendum expresse concessa sit, defenditur communiter a Legistis, et etiam a variis Theologis, inter quos Navarr. Covarruv. Angelus, Binsfeldius, et alii cum Molina tomo 2, disp. 368. Et ratio non spernenda ipsorum est, quia inter contrahentes debet esse æqualitas, neque unus eorum tenetur implere contractum, nisi et alter vicissim impleat, juxta l. Bona fides 50, ff. de action. empt. atqui in nostro casu Emptor contractum nondum implevit solutione pretii, transferendo in venditorem Dominium usumfructum, et commodum pecunia, ergo neque venditor tenetur transferre in Emptorem Dominium, usumfructum et commodum rei venditæ, sed eousque sibi retinere potest, donec Emptor sibi pretium solvat. Venditor enim manet dominus rei venditæ, donec tradatur, et simul pretium solvatur, vel cautio præstetur: vel saltem fides ejusdem habeatur, § 41. Institut. de rer. divis. ibi: « Venditæ vero res, et traditæ, non aliter Emptori acquiruntur, quam si venditori pretium solverit, vel alio modo eis satisfecerit, vel ex promisso re, aut pignore dato... sed si is, qui vendidit, fidem Emptoris secutus fuerit, dicendum est statim rem Emptoris fieri. » Et pro hac sententia adducunt plures leges, ut l. Curabit 5. Cod. de actionibus

(1) A priori tamen sententia recedendum non est, si periculum rei venditæ spectat ad emptorem. Non video cur etiam ejusdem commodum ad ipsum transire non debeat. Venditio perficitur re certa, certo pretio, et mutuo consensu, quæ tria ubi concurrunt, illico perfecta remanet Venditio. Nec in jure cautum reperitur, venditionem suspensam remanere donec solvatur pretium, vel res tradatur. Pretii solutio, et rei traditio non perfectionem contractus, sed ejusdem tantum consummationem, et adimpletionem respicit. Heinec. exercit. 54, § 5, edit. Neapol. tom. 6, ideoque dum loquitur Jurisconsultus de perfecta venditione intelligendum est de intervenitu certæ rei, certi pretii, et mutui consensus. Porro si venditor non tradit rem, Emptori competit actio empti pro traditione consequenda, vel præstatione illius, quod interest, rem traditam non esse l. 11, ff. de action. empt. et vendit. Si vero Emptor conventum pretium non solvat, Venditori datur actio, ut pretium exsolvatur, et si intercesserit mora emptoris, usura quoque præstetur, l. 15, § 20, ff. de action. empt. et vendit. l. 5 et l. 15. Cod. eod. Sed traditio vel pretii solutione non secuta ob rationes supra adductas, nequeunt istæ actiones cum effectu intentari quia exceptio vel non soluti pretii, vel non traditæ rei rejici possunt: quo casu idem est actionem non habere, et actionem exceptione infirmare juxta responsum Pauli in l. 15, l. 112, l. 145, § 1, ff. de divers. reg. jur. Perfecta igitur remanet venditio etiam non secuta traditione, sed tantum pro eadem

Empt. l. Julianus 13, § 8, ff. de actionib. Empt. l. Qui pendente 25, ff. eod. quas omnes tamen clare solvit Reiffenstuel loc. cit. a. n. 236, aliis pluribus jam pro nostra sententia adductis, a n. 232 (1).

(5. Notanter autem in conclusione nostra posita sub num. 4, fuit dictum, Nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit, quia si circa perceptione fructuum provenientium ex re vendita fuerit facta aliqua specialis conventio inter Emptorem et Venditorem, erit omnino observanda arg. leg. Si in venditione 10, ff. De pericul. et commo. rei venditæ, leg. Qui fundum 40, § 18, ff. de contrah. Empt. l. Julianus 13, § 18, de actionibus Empt. et § Cum autem. Institut. de Emption. et Vendition. et ratio est clara, quia ex Reg. 85. Juris in 6. « Contractus ex conventionem Legem accipere dignoscuntur. » (6. Hinc licitus est contractus, cum fundus fructuosus, ut prædium, domus, hortus, aut aliud hujusmodi emitur eo pacto; ut post tot annos dumtaxat Emptor pretium, de quo conventum est, solvere teneatur venditori, et interim venditor usuras summæ capitalis percipiat, donec ipsa soluta sit; leg. Julianus 13, § Ex venditio ff. de action. Empti et Venditi, ibi: « Ex venditio actio venditori competit ad ea consequenda, quæ ab Emptore præstari oportet: veniunt autem in hoc judicio infrascripta; in primis pretium quanti res venit, item usuræ pretii post diem traditionis, nam cum re Emptor fruatur, æquissimum est eum usuras pretii pendere leg. 11. Cod. de usuris, ibi: Quod hujusmodi usuræ, et non quasi usuræ, sed quasi interesse putantur. Et sic communis Doctorum cum Glossa in cap. Conquestæ, Extravagant. de usuris, ibi: Usuræ possunt etiam peti, secundum Canones, ut cum vendo tibi prædium, et

Emptori competit actio empti; et pro pretio Venditori datur actio venditi. Jam vero ubi venditio perfecta est, fructus acquiruntur emptori, ideo etiam non soluto pretio ad eundem spectabunt, qui solum poterit pro fructibus compensatis conveniri: ita sentiunt Zoes. in Pandect. l. 19, t. 1, n. 16. Voet. ib. n. 9. Cujac. in leg. Jul. § possessionem. Edit. Neapoli. tom. 7, coll. 776, sub tit. E. Bruneman, in eand. leg. n. 50, et seq. et in leg. Curabit. Cod. de Act. Empt. et vend. Coruin. in Cod. lib. 4, tit. 54, p. 244, fin. Profecto in citata leg. 15. Cod. de action. empt. et vend. habetur: « Fructus post perfectum jure contractum emptoris spectare personam convenit, ad quem et functionum gravamen pertinet. Venditor quoque pretium tantum ac si mora intercesse probetur usuras officio judicis exigere potest. » In hac lege statuitur primo, ut fructus post rite perfectum contractum ad Emptorem pertinere; secundo jus conceditur venditori repetendi pretium, et si emptor post traditam rem differat illud solvere, idem ad usuras condemnatur. Sed si ob non solutum pretium, et non traditam rem fructus fuissent debiti Venditori, jam frustra eidem ab hac lege concessa fuisset facultas consequendi arbitrio judicis usuras. Sed super his consule præter allegatos supra, Covarruv. variar. resolut. lib. 4, cap. 15. Strav. ad Pandect. lib. 19, tit. 1, num. 400, et plur. seq. qui alias ad hujus opinionis confirmationem adducunt rationes. Vin. partit. jur. lib. 2, cap. 15. (Edit. Barbiell.)